



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

EXAMINI PUBLICO

IN

SCHOLA GOLDINGENSI

ANNO MDCCCXXXII

RITE CELEBRANDO

PROLUDEBAT

PETRUS GRIB FIBIGER,

RECTOR SCHOLÆ.

INSUNT CARMINA GRÆCE ET LATINE COMPOSITA.

H A F N I Æ.

TYPIS EXCUDEBAT ANDREAS SEIDELIN,

AULÆ REGIÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

Manuscriptum in scriptura cursive

ODARIUM

REGI AUGUSTISSIMO

SCHOLAM COLDINGENSEM

DIE JUNII 30^{MO} ANNI 1852^{MI}

CLEMENTISSIME INSPICIENTI


A

DISCIPULIS

LATINE DECANTATUM.



Ἔξι δὲ φύλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον,
Ὅσις, αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια, παπταίνει τὰ πόρσω.
Μεταμῶνια θη-
ρεύων ἀκράντοις ἐλπίσι.




Ὅ σκολῆς, οὐ γ' αἰδομένη σὺ Μοῦσα,
ἐν λύρα λεπτῇ Πατέρ' εὐλογεῖσθαι
Πατρίδος νόμοις ὅσίοις, φοβείσθω
οὐδὲ Φύγης σὺ,

πλῆκτρα τῆς Σαπφοῦς μεταχειρίσασθαι,
εἰ μέλος Φόρμιγγος ἀπλοῦν νόους τε
μηνύει ῥ' ἀπλοῦς, Φιλίας τε μεζὸν
σηῖθος ἀνοίγει.



Est nimirum genus hominum stolidissimum, qui, contemnentes patriæ opes,
remota circumspiciunt, vana consecrantes irritâ spe.

Pindar. Pythiorum C. 3. V. 36.



Ne, scholæ nostræ pudibunda Musa!

ad chelyn parvam celebrare *Patrem*

Patriæ sanctis modulis, rubescas,

neve paveto,

aureum Sapphus violasse plectrum,

si melos simplex tamen eloquetur

simplices sensus, et amore plena

pectora pandet.

Εὐτυχὲς λάμπει τὸ γὰρ ἡμᾶρ αὐθις,
 εὐτυχὲς δὴ τὸν ΦΡΕΔΕΡΙΚΟΝ ἡμῖν
 δεῦρ' ἄγον. καὶ ὄμμασι πᾶσιν ἀγνὸν
 Φῶς περιέχευον.

Εἶθε τοιούτους ἐπάγωσι πολλαὶ
 Ἡλίου χρυσοῦς, ἱκετευόμεσθα,
 ἡμέραι, τὴν ὧπα τέκνοις διδούσαι
 Πατρὸς ἰδέσθαι

Εἶθε μηκίσις ΣΥ χρόνοις Φίλην τὴν
 Κιμβρίαν Φαιδρός τε βλέπης, ΣΕ τ' ἄδων
 ἰαχαῖς πρύμνην Κοδανός τ' ἔποιτο
 γηθοσύναισι,

ὃν φέρων δήπου βασιλῆα κεῖσεν,
 οὗ εἰσχύς εἰλβει τ' ὅ τε βοῦς κορεσθεῖς,
 ἵππος οὗ τ' αἶρει χρεμέτισμα, χόρτω
 πῖονι γαίῳν.

Alma nam nobis nitet, alma rursus
 huc dies ducens **FREDERICUM** amice,
 omnium frontes oculosque clarâ
 luce serenans.

Evehant nostris precibus reductum
 hoc jubar faustum, redeant diesque
 plurimi, dantes **TUA** contueri
 ora paterna!

Longâ adhuc fati serie revisas
Cimbriæ natos hilaris; canat **TE**
 vox triumphantis Codanique, circum
 transtra, superba,

quod suum regem vehit inter oras,
 spica ubi fulget, satur et cubat bos,
 tollit hinnitum ac sonipes per alta
 gramina fortis.

PHILOCTETES SOPHOCLIS.

Metrum Alcaicum:

— — | ◡ — — || — ◡ ◡ — | ◡ ≡
— — | ◡ — — || — ◡ ◡ — | ◡ ≡
— — | ◡ — | — — | ◡ — | ≡
— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ | — ≡



Philoctetes.

Voces acerbas Hercules comes

acclamat undæ, quæ decimâ fugit

brumâ, nec arvis, prorâ amicâ

reddidit invalidum paternis: —

Jam te vorabunt, spes mea blandiens!

fluctus amari, turbidus ac trahet

te, stella! pontus, quam per undas,

et vada iniqua sequebar audax.

Caliginosas occidis, occidis

sub nubis umbras, lucide tu nitor,

tristemque me tristi maligne

littore deseris heic repulsum!

Quod surget isto de pelagi sinu
 ridensque findet nubila jam jubar,
 pallens abis cum tu, rapisque
 ultima, quæ miserum fovebant?

Deserta rupes sic reboat feros
 questus peresi vulnere tabido,
 Nymphæ quod amplexu repulso,
 nectare purpureique labri,

Pœante natus rege, tetenderat,
 quo fama belli, quo patrius vigor,
 quo candidâ Virtus manūque
 magnanimum juvenem trahebant.

At corda sævum fraude sodalium
 / nec vi, nec hōmo Dulichius *) doli,
 artisve fūco non amictus
 ille malæ puer **), aut levandis

*) Ulysses.

**) Neoptolemus.

jam suave ridens spes cruciatibus

flectit, sagittis ut veniat potens,
quod parque Atridarum triumphet,
corruat urbs Priami superba.

Tales querelas percipiens, domo

descendit heros ætheriâ probus
Tyrinthius *), pressum ac dolore
vocibus erigit illum amicis:

Assurge, mens quem turbida dejicit,

assurge, voces Hærculis hauriant
aures, patris qui arcem reliqui,
ut tibi jussa feram Tonantis: —

Ne scande puppim, quæ, facilis preci,

tandem det ægro, busta **) revisere
Oetæa, Spercheique ripas; —
Troja tibi est, Paris est petendus!

*) Hærcules.

**) Hærculis.

Iræ malignos ex animo vepres
 evelle, cordi robur et indue,
 duros patet nam per dolores
 hinc iter ad radios Olympi!


Sic ille crudos pectoris et pedis
 fortis dolores reprimit, ac meret
 virtutis insignes coronas,
 numinis imperium secutus,

turgentis atris fluctibus anxio
 mentis viro dum cœlitus emicat
 tranquilla lux, æstus residit,
 nube animi fugiente cæca.



C a r m e n,

examine publico finito, a discipulis cantandum.



Da, sator rerum, generisque nostri!

ne Tuos unquam lateat, quod almi

fonte de cœli radiante manat

luce perenni;

Neve captemus tenebrosa, cæci

in tuis regnis stolide vagantes,

vera sed pulcra ac tueamur omnes

lumine certo!

Da, medullas ut probitatis alto
 corde servemus, tua sancta nunquam
 jura temnentes, tua jussa molli
 aure bibentes.

Patriæ da nos utiles bonosque
 ire linquentes habitacula olim
 alta Palladis, gremiumque mitis
 dulce Juventæ.

Patriæ caræ bona, quæ precamur,
 deferas, pacis bona; gloriamque,
 bella si surgent mala, si malignus
 impetet hostis.

Fertiles agri rutilent; volantes
 fluctuum naves super alta dorsa
 copiam rerum peregrina poscant
 arva salubrem!

Da bono annorum seriemque Regi
crescere, ut messem videat, labore
ipse quam sevit vigili, virentem
divite fruge:

qui, parens ceu, nos, pius atque mitis,
plus semel visit, foribusque honores
addidit nostris stabiles, nec unquam
emorituros:

qui juventuti placidus docendæ
interest, sollers sibi sumit hisce
floribus nullo peritura seculo
regia sarta!

Ad Episcopum Islandiæ Heingrim Johnsen,
Virum summe Venerabilem, Doctissimum, Clarissimum,
Coldingam relicturum.

In libro memoriæ amicorum dicato, — Ipso rogante. (1824)

Ad polum tendis borealis auræ
et, quibus late dominatur Heclæ
sæva vis, lætus, patriam salutans,
littora vises.

Te salutabit populusque lætus,
cujus in mentes Tibi mite regnum
detulit Christus, pietatis ut stent
candida jura.

Daniæ cum Tu, fugiente puppi,
respicis silvas virides, amicum
dic "Vale" Danis Codani per undas
o Bone! amicis!

Ad Birgerum Thorlacium

cum Antigone Sophoclis danice reddita. (1816)

Atticæ vitis timidâ racemum,
 quem manu carpsi, veniam precatus
 patre de Baccho, dominâ modorum
 Melpomeneque:

si quid attactu male cautus uvas
 læserit sacras digitus profanô, —
 copiâ sumas propriâ carentis
 munus amici!

Te vetus gaudet cumulasse Musa
 præmiis, ampli penetrale fani
 Te sacerdotem, nemus excipitque
 Palladis ingens.

Vix mihi Phœbus dedit ædis altum
 ut premam limen venerante gressu,
 vix, ut in luco legerem Camenæ
 parvula dona.

A d P u e r u m.

Quam levis, cursu fugiens anhelò,
 gaudia et dulces rapit Hora lusus,
 cum rosâque horti pede spes superbo
 sternit inertes :

tabido somno dea pertimenda,
 multa sed gnavis eadem favente
 porrigit dextrâ bona, queis beate
 defluat ætas :

aureas artes, jubar ut reversum,
 turpis erroris nubilas fugantes :
 gratiæ florem, meritique honoris
 gemmea dona.

Stet, precor fidus labor usque custos
 ad fores mollis pueri, arceatque
 inde languorem, procul inde vanæ
 somnia mentis !

Vidi ego luctu juvenes acerbo,
 heu ! diem stultam periisse flentes ; —
 Musæ at olim Tu, patriæque carus
 sis, puer ! almæ !

A d J u v e n e m.

Primariæ tres stili virtutes: Perspicuitas, Suavitas, Gravititas.

Ut tibi cor purum est, fons ingenique relucet,
puro ita verba fluant amne latina tibi:
molle super rivum sic halet florida ripa,
ut pudor afflavit pectus, amice! tibi:
altior undaque sic surgat, mens ut juvenilis
jam tua nil parvum, celsa, alacrisque sapit.

A d I n f a n t e m.

(Germanica ex lingua translatum.)

Qui flens intrasti terrarum hoc lumen, amici
dum tibi ridentes oscula læta dabant,
tempora sic peragas, supremæ ut, flentibus illis,
subridens tenebras ingrediare viæ!
